



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1606. usque ad annum 1610

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1776**

**VD18 90118820**

§. 80. Alexii Porri & Dionysii Perroneti Carmelitarum obitus.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67222](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67222)

garicæ Provinciæ Præfectus hoc regnum Sæc. XVII.  
 afflictosque ejus incolas contra Turca- A. C. 1609.  
 rum & hæreticorum oppressiones pro  
 viribus tutabatur: Selegerat sibi Salis-  
 burgensis Archipræsul Cattaneum in  
 Theologum suum, a quo etiam Chie-  
 mensis Episcopus creatus, atque a Cle-  
 mente VIII. ad Viglevanensem Ecclesiam  
 translatus, ibidem die vigesima octava  
 Aprilis evivis sublatus est. Exstat ipsius  
*Enchiridion eorum, quæ in controversiam*  
*vocantur, necnon ipsius explicatio Cate-*  
*chismi Romani, & Summularum casuum con-*  
*scientiæ præter ejus tractatus de censuris,*  
*& examine ordinandorum.* Denique Scri-  
 ptis Theologicis celebrem se reddidit  
 Paulus Gryfaldus patria Perusinus, qui  
*suas decisiones Theologicas contra Judæos,*  
*Turcas & hæreticos Venetiis edidit, præ-*  
 ter tractatus de Angelis, dæmonibus,  
 strigibus &c. de pulchritudine Universi,  
 Enchiridion totius summæ D. Thomæ,  
 aliaque volumina plura de re Theolo-  
 gica, quæ P. Oldoinus laudat.

## §. LXXX.

*Alexii Porri & Dionysii Perroneti*  
*Carmelitarum obitus.*

Præter plures Scriptores, qui ex Or- *Bibl. Script.*  
 dine Carmelitano hoc anno obiere, *Carmel.*  
 duntaxat duos recensemus, quorum

Ff 5

pri-



Sæc. XVII. primus erat Alexius Porrus patria Mantuanus, S. Theologiæ Magister, officii Inquisitionis Consultor, Synodalis Examinator & Ordinis sui Vicarius Generalis: Scripsit hic de Purgatorio & suffragiis mortuorum, responsionem ad quæsitam de S. Paulo circa ejus conversionis tempus, & modum, raptum, & arcana: solutionem dubiorum de origine, vita & morte Antichristi: discursus adversus Astrologos judicarios: antidotum adversus Dæmones, tractatum de Sybillis præter plurimos alios tractatus longe eruditissimos, quos insigniter commendat Antonius Posselinus. Alter erat Dionysius Perronetus natione Gallus, Theologiæ Doctor, qui Petracoriensis Canonicus & Vicarius Generalis Antissiodorensis ab Episcopo Amyoto electus est. Hic in studiis assiduus, in docendo clarus, in disputando acutus, in colloquiis placidus, ac præcipue in perorando facundissimus insignis quoddam quadragesimale Parisinis literis jam sæpius excusum edidit: Scripsit etiam tractatum de operibus sex dierum Perronio Cardinali nuncupatum, necnon Sermones de festis Domini & Sanctorum, item in Evangelia, & explicationem rituum Ecclesiæ, & instructiones Parochorum & Vicariorum, quod opus Episcopo Sarlatensi D. Salignaco dedi-



dedicatum, atque in Galliis jam quinto Sæc. XVII.  
 prælo subjectum plurimi habetur. A. C. 1609.

## §. LXXXI.

*Gerardi Vossii extrema.*

Hujus quoque anni diem vigesimam *Miræus.*  
 quintam Martii vitæ suæ postremam *Script.*  
 habuit Gerardus Vossius Borchlonii in *Sæc. XVII.*  
 Eburensi Comitatu natus. Erat Vir *Erythr.*  
 Græce ac latine apprime eruditus, & *Pinacoth. II.*  
 probitatis, innocentiae, virtutumque om-  
 nium non minus ac scientiarum laude  
 adeo præstans, ut Janus Nicius, quem  
 Gerardus *patria charitate* semper comple-  
 xus erat, haud satis mirari potuerit, quod  
 tamen fortuna esset usus tam adversa, ut  
 nunquam ex eo statu, in quo esset collocatur,  
 potuisset emergere, ac procedere opibus &  
 honoribus longius; quamvis enim Tau-  
 grensis Præpositus, Protonotarius Apo-  
 stolicus, ac S. Theologiæ Doctor esset,  
 has tamen dignitates suis meritis multo  
 inferiores esse credebat Nicius: Gerar-  
 dus vero sua sorte contentus totum se  
 edendis Sanctorum Patrum operibus  
 dicabat: ex his Sancti Ephrem Syri om-  
 nia opera latinitate donabat, scholiis-  
 que illustrabat: Theodoretum quoque  
*de charitate*, S. Gregorium Thaumatur-  
 gum, Gesta ac monumenta Gregorii IV.  
 Papæ & alia plura cum notis variisque  
 Lectionibus, præter artis Rhetoricæ  
 metho-